



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XIII. Si causa, appellatione remota, si commissa, & altera pars appellauerit, non est appellationi deferendum, nisi appellans ante citationem iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi. Item, si ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

cognoscere, sed referri, quoties quæ inciderint, ad sedem apostolicam oportebit.

CAP. XIII. *Eboracensi archiepiscopo.*

In eminenti specula ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino constituti, intendere debemus consultationibus singulorum: & prout Deus nobis reuelauerit, propositas enodare. Consulisti autem, si causa, appellatione remota, commissa, altera partium ante citationem vel post citationem, ante sententiam vel post sententiam, ad sedem apostolicam appellauerit, an appellationi sit in huiusmodi deferendum. Præterea si causa fuerit, appellatione remota, commissa, & alter aduersariorum appellet, quia delegatus iudex non vult super suggestione falsi probationes admittere contra Cantuariensis literas impetratas, an in hoc casu teneat appellatio, quæsiuisti. Dubitas etiam, si duobus fuerit causa commissa, appellatione remota, & alter suo coniudici vices suas commiserit, an ille solus possit procedere appellatione remota, vel ab eo liceat appellare, cum in fine non sit appositum, vt si vterque nequiuert interesse, vnus procedat. Primæ ergo quæstioni respondemus, quod causa, appellatione remota, commissa, appellationi non debet deferri, siue ante citationem, siue post, siue ante sententiam, siue post, fuerit appellatum: nisi appellans, priusquam citaretur, iter arripuisset ad sedem apostolicam veniendi. Quod autem quæsiuisti, si aliquis appellauerit, quia delegatus iudex super suggestione falsi audire probationes recusat, an appellatio teneat, hoc tuam volumus discretionem tenere, quod in eo casu debet appellationi deferri. Ab vno vero iudicum, appellatione remota, in causa procedi non potest, nisi hoc speciale in literis commissoriis exprimat.

CAP. XIV. *Lucius tertius.*

Quoniam ex plenitudine potestatis, &c. *Et infra*: Consulere decreuisti, de quibus personis intelligendum sit, vnã alteri in ecclesiasticis beneficiis succedere non debere: vtrum, scilicet, de sacerdotibus & eorum filiis duntaxat, an & de aliis quibusdam personis. Noueritis ergo quod ad ecclesiastica beneficia nullum secundum Cano-